

vel tædio, sacerdos depromptas e sacris paginis aut vita sanctorum historias utiles juxta et amænas exponet, aut concertationem puerorum instituet de Christiana doctrina disputantium, et grato spectaculo agrestes oculos pascet; aut aliquid aliud ejus generis comminiscetur, quo teneri multitudo solet. Plusculum etiam temporis impenditur publicis precibus: serotinæ paulo citius inchoantur, iisque finis imponitur solemnni benedictione, quam sacerdos attollens sanctissimum Sacramentum veneranti populo impertit. Ita descriptum et ordinatum diem Hurones Lau-retani, R^{de}. Pater, habent, id quod præsertim rescire R^a. V^a. cupiebat. Si quærerit quænam sint illorum occupationes annuæ, varia sunt pro variis anni tempestatibus. Post collectas fruges, indulgent fibrorum venationi, quorum villosis et exquisitis pellibus præcipua commercii Canadici ratio constat. Hæc venatio duos tresve menses occupat. Imminente festo Sanctorum omnium referunt se venatores domum ad frequentanda divina mysteria, et sublevandas piis precibus defunctorum animas, quod insigni pietate curaque præstant. Transactis diebus festis continuò silvas et venationem repetunt, et usque ad ineuntem Decembrem instant operi. Tunc relictis silvis domum redeunt ad celebrandum Virginis sine macula conceptæ diem festum, itemque S. Francisci Xaverii, quem peculiari studio, tanquam alterum à S. Josepho Missionum Canadensium præsidem et patronum, colunt. Debita cum Deo contracta dissolvunt universi